



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

Disputatio IX. De excommun. vt priuat suffragiis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

DISPUTATIO IX.

De primo effectu excommunicationis maioris, qui est priuatio orationum, & suffragiorum Ecclesie.

IN VITA ea, quæ paulo antea definiuimus, prius prosequemur omnia quæ ad excommunicationem maiorem pertinent, cum illa sola simpliciter excommunicatio sit: postea verò de minori excommunicatione breuiter dicemus. Visum est autem prius tractare de effectibus quàm de causis excommunicationis, tum quia tota ratio, & substantia huius censuræ consistit in huiusmodi effectibus, quos quasi formaliter conferre videtur, quia nihil aliud est, quàm vinculum quoddam morale, remouens hominem à communicatione quorundam Ecclesiasticorum bonorum; quam remotiōnem, seu priuationem vocamus effectum, scilicet per se & proximum huius censuræ: tum etiam, quia fere cætera omnia, quæ de causis inducentibus, vel tollentibus hanc censuram desiderari possunt, ex dictis de censuris in communi possunt breuiter expediti: quæ autem ad effectum pertinent, sunt maxime propria, & ideo accuratius sunt hoc loco pertractanda. Est autem aduertendum, quod, licet effectus adæquatus huius censuræ vnus sit, scilicet totalis priuatio Ecclesiasticæ communicationis, tamen, quia in illa communicatione plura bona includuntur inter se valde diuersa, per respectum ad illa distinguuntur plures effectus inadæquati, de quibus sigillatim & in particulari dicere oportet, vt clarius, & expediet, sit doctrina. Hic ergo dicemus de priuatione suffragiorum communium, ad quæ passim tantum, vt sic dicam, se habet excommunicatus; nam si quæ obligatio moralis ibi interuenit, in alios cadit, ne pro ipso orent, aut suffragia illi applicent: ipse vero solum fit quasi incapax vel indignus talium orationum, vel suffragiorum. Videndum ergo est, qualis sit hæc obligatio, & ad quos actus, vel personas extendatur.

SECTIO I.

Utrum graue peccatum sit communes orationes, vel suffragia Ecclesie offerre pro excommunicato.



Vid suffragia sint, superius in propria materia ostendimus, vbi diximus, esse quædam spiritualia subsidia, quibus quædam Ecclesiæ membra ab aliis iuuantur, vel quoad satisfactionem pro pena temporali, vel quoad meritum de cõgruo, aut impetrationem aliquorum bonorum, præsertim spiritualium, vel quæ ad spiritualia con-

A ferant: quæ subsidia per sacrificia, orationes, & pia opera Ecclesiæ membra sibi inuicem præbent, interdum priuatim, id est singulæ personæ inter se, interdum vero publice, id est auctoritate publica totius Ecclesiæ, & in persona eius, vel ex publico, & communi Thesaurò eius. Hic ergo solum agimus de suffragiis communibus, nam de priuatis postea dicemus. Possunt autem illa ad tria capita reuocari, scilicet sacrificium Missæ, nam illud nomine totius Ecclesiæ offertur, orationes, & aliæ sacræ ceremoniæ, seu actiones, quæ à ministris Ecclesiæ, vt tales sunt, in persona totius Ecclesiæ fiunt. Item indulgentiæ, quæ vel à Summo pontifice, vel ab aliis Pastoribus iuxta potestatem eis datam conceduntur.

Prima Conclusio.

Primo igitur certum est, excommunicatum maiori excommunicatione ex intentione & voluntate ipsius Ecclesiæ his omnibus suffragiis priuatum esse. In quo Doctores omnes conueniunt, Theologi in 4. d. 18. vbi Magister S. Ligant quoque & D. Th. q. 2. art. 1. Bonauent. Gab. Palud. & alii, Sot. d. 22. q. 1. a. 1. Summistæ omnes verb. Excommunicatio, Nauar. c. 27. n. 17. & seq. & Couar. qui alios refert in c. Alma, p. 1. in initio. n. 3. & sequen. & S. 4. 5. & 6. Et sumitur ex Greg. lib. 2. Dialog. c. 23. Ratio vero est, quia in Ecclesiâ, & est potestas, & voluntas excludendi hominem contumacem & excommunicatum à participatione suffragiorum: ergo efficaciter id operatur, Consequencia est euidens, & antecedens quoad priorem partem constat, tum ex dictis supra de potestate referendi censuras, tum ex proprio & peculiari iure, quod Ecclesia habet in hæc bona: cum enim sit eorum domina, aut saltem dispensatrix Christi nomine per vicarium eius, iure ac merito potest indignos ab horum bonorum participatione repellere. Quod autem velit & faciat, constat ex vfu Ecclesiæ, & ex variis iuribus c. A nobis & c. Sacris, cum aliis, de sent. excom. & 11. q. 3. per capita. In quibus etiam propter hanc causam cum aliis dicuntur excommunicati expelli ab Ecclesiâ quia expelluntur à communibus suffragiis, sicut ethnici, Matth. 18. Dicuntur etiam tradi Sathana in c. Omnis Christianus, iuxta modum loquendi Pauli 1. ad Timoth. 1. & 1. ad Cor. 5.

D Quia extra Ecclesiam diabolus est (inquit Augustinus) ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur. Item etiam, quia excommunicatus supponitur saltem in foro Ecclesiæ diuina gratia sanctificans priuatus, & in eo statu pertinax, nã ideo tali censura dignus habetur. Vnde, cum vltius priuatur communibus Ecclesiæ auxilijs spiritualibus, quibus multum iuari posset ad obtinendam à Deo gratiam, vel monitionem, quæ à tali statu resurgeret, merito habetur quasi Sathana traditus. Propter quod iure optimo dixit Augustinus, nihil ita esse formidandum Christiano, sicut à Christi corpore separari. Vnde multi cõsent ad grauitatem huius pœnæ indicandam in primitiua Ecclesiâ permisisse Deum, vt per huiusmodi censuram peccatores traderentur potestati dæmonis, etiam corpora E licet vexandi: sic intelligentes illud Pauli 1. ad Cor. 5. Tra d. d. hunc hominem Sathana in interitum carnis.

Hic vero statim oriebatur difficultas, quomodo hæc pœna sit consentanea pietati Ecclesiæ, cum tam acerba sit. Quo modo etiam possit esse medicinalis vt dicitur cap. 1. de sent. excom. in 6. cum directe videatur bonis animæ contraria, vel potius quasi radicitus ea tollere. Veruntamen de hac re satis diximus in principio disputationum de censuris in communi, & videri potest Couar. dict. 1. p. n. 9. in principio: licet enim hæc pœna directe consistat in priuatione omnijs spiritualium bonorum, nihilominus ex intentione Ecclesiæ ordinatur ad maius spirituale bonum, vel proprium ipsius excommunicati, vt ei

vt ei vexatio det intellectum; vel commune aliorum, vt terrore in officio contineantur. De qua re extat optimum exemplum apud Gregorium lib. 4. Dialog. c. 55. & videri potest Ambr. lib. 2. offic. c. 27. & alia, quæ referuntur in q. 3. c. Audi denique, & seq. & 24. q. 3. ca. Respondeo, & seq. Dico ergo Ecclesiam esse dominam, vel dispensatricem horum bonorum: nam quo ad bona, quæ per indulgentias applicantur, est tantum dispensatrix; & potestas dispensandi est per se primo in capite, seu Christi Vicario, qui ea potestare & fideliter & iuste vti debet: & ideo, si non concedit tales indulgentias sine iusta causa, ita postquam illas iuste concedit toti Ecclesie vniuersali, vel alicui particulari, aut provincie, vel loco, respectiue neminem ex solo arbitrio, & absque causa legitima ab eorum participatione excludit: esset enim illa personarum acceptio: at vero ex causa legitima merito excludit excommunicatum ab huiusmodi bonorum participatione: nam ea bona solum dispensantur inter membra Ecclesie vnita, imo cum effectu non applicantur nisi membris vitiis, vt suo loco vidimus. At vero aliorum suffragiorum, quæ in communibus orationibus, & sacris operibus consistunt, in tantum est Ecclesia domina, in quantum liberum ei est per membra sua illa operari. Tamen considerando etiam fructum horum operum, dominium eius est in tota Ecclesia: prælati autem sunt dispensatores, seu ministri, vt possint ad participationem talium bonorum aliquos admittere, vel excludere, non voluntarie vt domini, sed ex iusta causa vt iudices.

Secunda conclusio.

Secunda hinc etiam certum est, prohibitum esse publice orare pro excommunicatis, seu communia suffragia Ecclesie illis applicare. In hoc conueniunt citati Doctores, & sumitur etiam ex Cypriano Epist. 66. Et de hac assertionem videri potest Nauarrus de Orat. & hor. canon. 19. n. 67. & Couarr. dist. 5. n. 4. & Gabr. lect. 2. 6. in Canon. lit. K. & seq. Ratio autem sumitur ex præcedente assertionem, quia intentio Ecclesie est priuare excommunicatum his suffragiis: non potest autem aliter hoc efficaciter operari, nisi prohibendo ministris Ecclesie ne pro excommunicatis hæc suffragia offerant, antequam absoluantur. Et ita etiam loquuntur iura in cap. 4. nobis, 2. & c. Sacris, cum aliis de sent. excom. Vnde fit, hoc præceptum ex genere suo obligare sub mortali: quod docuit expresse D. Thomas quodlibet. 11. a. 9. & ex illo notauit Nauar. in Summ. cap. 27. num. 36. Et ratio est, tum quia materia illius præcepti grauis est, tum etiam, quia hæc priuatio communicationis in his spiritualibus, est directe intenta per Ecclesiam.

Hic vero statim occurrit vulgaris obiectio, quod modo Ecclesia in feria sexta Parasceutes publice orat pro excommunicatis, si ipsammet prohibet pro illis publice orare. Quod autem ipsa faciat, patet, quia orat pro hæreticis, & schismaticis, qui excommunicati sunt. In hac obiectione expedienda, laborem Nauarrus, Couarruias, & alij. Sed res est facilis, quia hæc prohibitio non est de iure diuino, vt supra ostendi, tractando de censuris in communium neque, quod tota Ecclesia orat pro excommunicato, est per se, & intrinsece malum, sicut statim dicemus non esse malum, vt priuata persona pro illo oret, nam quoad hoc eadem est ratio, seclusa Ecclesie prohibitione. Igitur hoc solum est malum ex prohibitione Ecclesie, quæ potuisset ita excommunicationis censuram instituere, vt per eam priuaret excommunicatum omni alia communicatione, & non hac, quæ consistit in suffragiorum oblatione. Ergo similiter, quamuis generatim prohibuerit hæc suffragia offerri, vel publice orari pro excommunicatis, potuit ab illa generali prohibitione

A excipere illum diem, & illum peculiarem modum publice orandi pro illis. Consulto autem verumque coniungo, scilicet, & diem, & modum orandi, quia Nauarrus supra nu. 71. ait: Ecclesiam tunc orare pro exteris, & inimicis suis non orationibus institutis pro suis membris, sed aliis institutis pro illis, qui tales non sunt. Ex quo infert, quod licet nemo debeat orare nomine Ecclesie, & velut persona publica pro infidelibus, & excommunicatis orationibus deputatis ad orandum pro suis membris: sed sic orationibus, quas habet compositas ad orandum pro infidelibus, & excommunicatis. Quæ sententia, vt vera sit, intelligenda est cum moderamine illius diei, & officij pro eo die instituti: nam si quis Sacerdos vellet in Missa aliis diebus publice dicere illam orationem pro hæreticis, vel schismaticis, quam pro illo solo die, & officio Ecclesia instituit, grauiter peccaret participando in sacris cum excommunicatis, quia Ecclesia non instituit eam orationem tali intentione, nec copiam fecit ministris suis vtendi illa suo nomine, nisi in tali officio, & die: secus vero esset si quis priuatum, & propria deuotione vteretur illa oratione ad orandum pro Apostatis vt priuata persona: ita enim id facere potest illa oratione, sicut quibuscunque aliis verbis ab ipso compositis. Et fortasse hoc solum voluit docere Nauar. sup. Cur autem Ecclesia illo die speciali huiusmodi dispensatione (vt sic dicam) vsa fuerit, facile est congruentias reddere. Potissima esse videtur, quia eo die representatur mors Christi, cuius meritum, & effectus quoad sufficientiam ad omnes homines sine vlla exceptione extenditur: & iure optimo voluit Ecclesia, quantum est de se, pro omnibus intercedere, vt in omnibus efficaciam habeat. Est ergo hoc peculiare priuilegium illius diei: quod intelligendum est quantum ad directam orationem publicam pro iis excommunicatis, nam si oratio directe fiat, & in generali pro Ecclesie dilatare, vel vnione, seu augmento, quamuis indirecte possit talis oratio redundare in bonum hæreticorum, aut schismaticorum, quorum conuersione, vel emendatione Ecclesia augeatur, vel vnitur, talis oratio publica non est prohibita, quia per se fit pro Ecclesia, vt latius declarauimus in Tom. disp. 78. sect. 2. ad fin.

SECTIO II.

An omnes excommunicati vel solum excepti iure nouo Concilij Constantiensis priuati sint communibus suffragiis Ecclesie.



D hunc effectum amplius declarandum, necesse est inuestigare, in quibus excommunicatis locum habeat. Et non inquiri de maiori, aut de minori excommunicatione ligatis: iam enim dixi, sermonem nunc solum esse de maiori excommunicatione. Hæc tamen varios habet status, interdum enim est occulta, vt pote generatim lata, & per delictum occultum contracta; interdum vero est publica, vel sine iuridica denunciatione in particulari, & nomine proprio facta, vel cū illa. Certum ergo est, prædictum effectum habere locum in nominatim excommunicato, atque etiam in manifesto percussore clerici, quando tam publicus est, vt nulla tergiversatione possit celari. De aliis vero dubitatio est: oriturque dubitandi ratio, ex noua constitutione, seu Extravaganti Ad euitanda scandala, quæ à nobis hoc loco proponenda est, & quoad hunc effectum declaranda; quoad alios vero in discursu materie tractabitur.

In Concilio ergo Basiliensi sess. 20. ad fin. sic legitur. Ad vitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientis timoratis, statuit etiam quod nemo deinceps à communionem alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscunque sententia, aut censuræ Ecclesiæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab hominibus

Extravag. Ad euitanda scandala ex Conc. Basiliensi explatur.

mine vel à iure generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam, à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expresse, aut si aliquem ita notorie excommunicationis sententiam confiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstinere vult, iuxta Canonicas sanctiones Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari. Circa quam Extrauagantem primo aduertendum est, eandem referri ex Concilio Constantiensi à D. Antonino tert. part. tit. 25. c. 3. quem postea alij multi secuti sunt, quos infra referam. In actis autem, quæ nunc habemus ex Concilio Constantiensi, tale decretum non habetur, sed solum in Basilienfi: Ex quo solo, ac per se considerato non potest illa constitutio habere vim legis obligantis vniuersam Ecclesiam, & derogantis, seu limitantis antiquum ius, nam Concilium illud, quando illam edidit constitutionem, vel non erat legitimum, nec sub obedientia Summi Pontificis procedebat, vel saltem à Summo Pontifice nunquam confirmationem obtinuit, vt late prosequitur Tur-

D. Antoninus.

Conc. Basilienf. an constitutionem hanc valide tulerit.

Turrecre. Conc. Lateran. Pius II. Coharr.

Vgolin.

Hæc Extrauag. ne ex illius Conc. & aliorum, sed ab usu Ecclesie comprobatur, & quo à Pontifice esse credatur.

Differentia in contextu Extrauag. Ad euersionem.

recremata in Sum. de Eccles. lib. 2. c. 100. Et sumitur ex Concilio Lateranensi sub Leone X. circa finem; & ex Bulla retradationis Pij II. Neque satis facit, quod significat Couar. in cap. Alma. 1. p. 2. n. 7. dicens, quæ in Synodo Basilienfi, vel Constantiensi acta fuerunt circa damnationem quorundam articulorum hæreticorum, & causas beneficiales ac censuras, approbata fuisse Apostolica autoritate. Sicut apparet (inquit) ex Bullis Martini V. & Nicolai V. Romanorum Pontificum, quæ quidem approbationes in ipso Concilio Codicem continentur. Hoc (inquam) non satis facit, nam in Bulla Martini V. quæ habetur in fine Concilij Constantiensis, habetur quidem damnatio Ioannis Vuicleph, & Hus, & illorum hæresum. In Bulla autem Nicolai V. quæ habetur in fine Concilij Basilienfis, approbatur acta in eo Concilio quo ad causas quasdam beneficiales: de Censuris autem nihil video ab illis Pontificibus esse approbatum, quod ad ius pertineat, sed solum de illis, quæ ad ea negotia, vel facta, quæ confirmat, pertinere potuerunt. Addit vero Vgolinus tab. 1. cap. 13. § 7. in principio, illam constitutionem, prout in Concilio Basilienfi continetur, & probatam fuisse à Nicolao Papa V. per Bullam super approbatione Actuum in Concilio Basilienfi. Verum tamen nec in tomis Conciliorum habetur, neque ab alijs authoribus refertur alia Bulla Nicolai V. approbationis Concilij Basilienfis, præter eam quæ in tomo 4. Conciliorum in fine eiusdem Concilij habetur, in qua non fit generalis approbatio, sed solum quo ad promotiones, electiones, dispensationes, absolutiones, & alia similia ad factum, non ad ius concedendum pertinentia, vt euidenter ex tenore totius Bullæ constat. Itaque si in sola autoritate illorum Conciliorum fistiteremus, nullam vim illa Extrauagans haberet; tamen quia ab vniuersali Ecclesia recepta est, & vsu probata, imo (vt creditur) à Summo Pontifice manauit; ideo non est dubium, quin obligatio vitandi excommunicatos iuxta moderationem in illa factam obseruanda sit: in quo conueniunt omnes auctores citati, & citandi.

Secundo est obseruanda differentia quædam, quæ inter auctores est in littera huius Extrauagantis referenda, & consequenter in eius dispositione restringenda, vel amplianda. Duo enim casus in illa ponuntur, in quibus excommunicatus vitandus est. Primus, quando nominatim per particularem sententiam, & denunciationem excommunicatio in aliquem lata est, quo ad hanc partem nulla est diffe-

rentia in littera re ferenda: quamuis in sensu, & explicatione sint nonnullæ discordiæ, vt infra dicam. Secundus casus est, quando excommunicatio est ita publica, vt nulla tergiversatione celari possit. Et in hoc est magnum discrimen in ipsa littera, nam prout habetur in Concilio Basilienfi casus est generalis de omni sententia excommunicationis; imo Nauarrus cum aliis illam extendit ad publicam suspensionem, & interdictum. At vero longe aliter refertur hic casus ab Antonio iuxta Concilium Constantiense his verbis: Saluo, si quem pro sacrilega manuum iniecti-
one in clericum sententiam latam à canone adeo notorie confiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari: neque alio suffragio excusari. Nam à communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abstinere iuxta canonicas sanctiones. Iuxta quam lectionem solum in illo speciali casu vitandus est publicus excommunicatus. Et inde potius firmatur regula, vt nullus alius excommunicatus, quantumvis publicus vitandus sit, donec sit denunciatus.

Est autem inter Doctores magna dissensio in approbando alterutro ex his contextibus: vt in Praxi tanquam lex seruandus sit. Priorem ex Concilio Basilienfi approbat Abbas in Clement. 2. de sent. excomm. Felinus late in ca. Rodolphus, de Rescript. num. 39. Nauarrus in ca. 1. §. Laboret. de penit. dist. 6. n. 10. & sequentibus. qui addit fuisse postea illam Extrauagantem Basilienfium receptam in Concilio Bituricensi, & in statutis Ecclesiæ Gallicanæ, & concordatis inter Leonem X. & Regem Galliæ Franciscum, quæ habentur etiam in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. vbi prædicta constitutio eisdem verbis refertur, quibus habetur in Concilio Basilienfi, vt notat idem Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 35. Eandem sententiam sequitur Coharruius dicto § 7. num. 7. & Vgolinus dicto § 7. nu. 7. qui referunt Abbatem, & alios. Idem Syluester verbo Excommunicatio, §. num. 9. Fundamentum est, quia de forma & contextu Concilij Basilienfis constat nobis ex actis illius Concilij. De forma autem Concilij Constantiensis non constat nisi ex narratione quorundam Doctorum. Et, quamuis constaret, tamen constitutio Concilij Basilienfis posterior est, quæ priorem correxit, ac limitauit. Et, quod magis
D. vrget Leo X. cum Concilio Lateranensi, postea formam Concilij Basilienfis confirmauit. Quam proinde postea secutum est Concilium Moguntinum cap. 10. 4.

Nihilominus contraria sententia vera est, scilicet nunc limitandum esse hanc prohibitionem iuxta formam attributam Concilio Constantiensi, vt sentiunt plures, & graues Doctores, D. Antonius in dicto tit. 25. cap. 3. & in tractatu de Censuris cap. 83. alias in tractatu de excommunicat. cap. 79. num. 16. qui habetur in tomo 14. tract. diuersor. Doctorum. Caietanus in Summa, verbo Excommunicatio minor. Gabr. Victoria in Summa, de excomm. num. 10. Adrianus in 4. materia de Euchar. q. penult. & materia de Confess. dub. 9. & de clauib. q. 3. Maior in 4. dist. 18. q. 3. vbi (quod mirum est) idem refert ex Pragmatica sanctione Gallicana ca. de excommunicatis non vitandis. Soto in 4. d. 22. q. 1. art. 4. & Ioann. Gutierrez lib. 1. canonic. quæst. c. 1. vbi copiose hoc disputat, & plures alios auctores refert. Et hanc partem sequuntur fere omnes Summistæ. Fundamentum est, quia illa constitutio sub ea forma, edita creditur à Martino V. vt ex testimoniis fide dignis superius refert Antonius, dicens Papam de hac re interrogatum respondisse: Illa est vna de concordatis, & volo, quod semper duret. Neque illa omnia, quæ posterius facta dicuntur, eam formam derogare, aut restringere potuerunt, tum quia Concilium Basilienfe per se ad hoc potestatem non habuit: neque in hoc fuit à Nicolao V. approbatum, vt dictum est: tum etiam, quia licet illud Concilium in sua constitutione
verbum,

Dissensio A. Anton. prædicta Extr. Nauarr.

Couar. Vgolin. Abbas. Syluest.

Concil. Lateran. Cont. Mogunt.

Prohibitio hæc est limitanda ex forma Conc. Constantiensis.

Antonin. Gabr. Victor. Adrian. Maior.

Soto. Guizet.

verbum, seu restrictionem ad percussionem clerici omiserit, non tamen expresse tractavit priorem constitutionem Martini V. Quod maxime dicendum est ad acta Concilij Lateranensis, quia ibi non agebatur de lege ferenda, aut observanda circa hoc pro vniuersa Ecclesia sed solum de concordatis inter Gallos, & Pontificem qui illa forma contenti fuerunt: non tamen propterea legem sanxerunt ab vniuersa Ecclesia observandam, tum maxime quia vsu totius Ecclesiae ea forma iam est approbata, & recepta, vt praedicti omnes auctores referunt: & constat ex vsu Galliae, Germaniae, &c. vbi Catholici sine scrupulo communicant cum haereticis publicis, & schismaticis; propter quam consuetudinem in hanc tandem partem inclinavit Nauarrus supra, & libr. 1. consilior. tit. de Constitut. consil. 1. quæst. 24. & idem seruari videmus in alijs regionibus inter Catholicos. Denique constitutio illa, prout ex Concilio Constantiensi refertur, vtilissima est ad finem in eadem constitutione expressum, scilicet ad vitanda scandala, & ledandas timoratas conscientias: ergo cum ob eam causam communi consuetudine probata, & recepta sit, non est cur amplius restringatur.

Sed obiiciunt aliqui, quia non est maior ratio de publico excommunicato ob clerici percussionem, quam ob aliam causam: ergo, si excipitur publice excommunicatus ob illam causam, excipiendus est etiam publice excommunicatus ob haerem, quæ maior causa est: & consequenter omnis publicus excommunicatus excipiendus est iuxta dispositionem Concilij Basiliensis: nam, vbi est eadem ratio, esse debet eadem iuris dispositio. Illud. ad leg. Aquiliam, & argumento c. Cum dilecti. de confirmat. vtili, vel inutili. Respondetur primo, solum paritatem rationis non esse sufficientem argumentum in iis, quæ ex iure positio pendunt, nisi ipsæ legislator ex similitudine rationis moueatur ad similem legem, aut prohibitionem faciendam, aut extendendam, sepe fit, & fieri expedit: quod solum probatur ex dictis iuribus. At vero si de facto lex vel prohibitio solū lata est in vno facto, vel materia; sub certis terminis, etiam si in alijs appareat rationis similitudo, nō propterea prohibitio aut confessio extendenda est, quia ratio non sufficit, nisi accedat voluntas legislatoris. Secundo dico, plures rationes speciales posse hoc loco assignari, cur publicus excommunicatus ob percussionem clerici potius exceptus sit, quam alij tum in fauorem, & maiorem securitatem personarum Ecclesiasticarum: tum quia delictum illud maxime scandalosum est, tum, quia in illo casu, & ius ipsum valde notum est, & factum semper in Ecclesia fuit valde odiosum, & ex se potest esse ita notum, vt omnem dubitationē excludat: quod in alijs delictis raro accidit. Et ideo, licet peccatum haerese grauius sit, de illo tamen non est facta exceptio, quia, vbi fides viget, & facile possunt vitari huiusmodi haeretici, rarissime accidit, vt aliquis sit ita publicus haereticus: vbi autē fides non viget, & copiosus est numerus haeticorum, vix possunt à Catholicis vitari: & ideo vtrobique infinita oritur dubia, si de hoc etiam crimine exceptio facta fuisset.

Quæ persone vitari præcipiuntur per Extrauag. Ad euitandā, quoad primam eius partem.

Tertio sic stabilito hoc iure, explicandus est sensus vtriusque partis solum quantum spectat ad conditiones personarum, quæ ibi excipiuntur, seu vitari præcipiuntur, nā de modo, & actibus, in quibus vitanda sunt, in discursu totius materiae, & per singulos effectus est dicendum. In priori ergo parte excipitur nominatim excommunicatus, vel alia censura ligatus, Itaque nō satis est incurrisse censuram

A ipso iure latam, neq; etiam ab homine per sententiā generalem, vt in ipso textu expresse continetur. Ex quo etiam constat hanc constitutionem quoad hanc partem ad omnes censuras extendi, ad quas cū proportionem sunt applicanda illa verba, *Cōtra personam, collegium, vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam*: nam, quod ad nos nunc attinet, excommunicatio cōtra certam personam ferri debet: reliqua vero propter suspensionem, vel interdictum posita sunt: debet autem excommunicatio ferri cōtra certam personam specialiter, & expresse, vt ibidem dicitur, id est nominatim, vt omnes exponunt.

Dubitant autem Nauarrus, & alij, an sufficiat aliquem esse excommunicatum ab homine per sententiā specialem in eum latam, vel necesse sit eū post sententiā publice denunciari. Nam, quod primum sufficiat, docuit Adrianus in dict. dub. 9. de confess. & Medina C. de Confess. qu. de Confess. confessori excom. scient. fact. & Petrus Soto lect. 6. de Confess. & lect. vlt. de excom. & Felinus supra, quem Nauarr. citat. Et videntur habere magnum fundamentum in textu, tum quia solum excipit excommunicatos à iure, vel ab homine per sententiā generaliter promulgatam, tum etiam quia posterius sub distinctione dicit, *Nisi sententia fuerit à iudice publicata; vel denunciata; specialiter, & expresse*: ergo satis erit quod sententia promulgata sit in speciali, quamuis non fuerit denunciata, quia ad veritatem diffinitionis vna pars sufficit. Nihilominus contraria sententia communis est, quam tenet Nauarr. dict. c. 27. nu. 52. & dict. c. 1. §. *Laborer*, de Pœnit. d. 6. n. 23. & Couar. V. golin. Gutierrez & alij supra citati. Et est probabilior, & in praxi sequenda: quia consuetudo, quæ est optima legum interpret. ita legē illam acceptauit, & interpretata est. Et præterea, quia id est maxime consentaneum fini illius legis, scilicet ad euitanda scandala, &c. ac non discordat à rigore, & proprietate literæ: nam, licet in principio solum excludere videatur censuram latam per ius, aut generalem sententiā, tamen, cum postea loquitur de speciali, non tantum requirit, vt lata sit, sed etiam, vt sit publicata vel denunciata. Quæ duo verba non ponuntur distinctione tanquam diuersa, sed tanquam æquipollentia, nisi quod participium publicata, proprie refertur ad censuram, vel sententiā: denunciata vero ad personam: quamuis etiam possint (vt iam dicā) eadem verba alia ratione explicari. Et confirmatur nam excommunicatus à iure, quātuvis publicus, non est vitandus, donec sit denunciatus, excepto casu percussio clerici: neque etiam excommunicatus per sententiā generalem: ergo nec excommunicatus per specialem, donec per illam persona declaratur, & publicetur excommunicata. Videtur autem verbum publicata, generalius, quam denunciata: proprie enim excommunicationis sententiā denunciari dicitur, quando ore profertur publice in Ecclesia, vt fieri solet: publicari autem dicitur vel illo modo, vel etiam quando in foro, aut in alijs publicis locis affigitur, vel quacunque alia ratione ita promulgatur, vt in communem omnium notitiā venire possit: quæ omnia sub illo verbo publicata, comprehenduntur. Est autem adeo necessaria publicatio, vt impleat Parochus, etiam si secum habeat sententiā declaratoriam factam cōtra talem personam, non teneatur illam vitare, donec publice tempore præscripto illam denunciet: nec male faciet illum admonendo, vt resipiscat antequam publicetur talis sententiā iam sibi ad denunciandum tradita, vt Nauarrus, & alij citati indicant.

Quod, si quis interroget, quanta esse debeat hæc publica notitia denunciationis factæ, vt obliget ad vitandum excommunicatum, dicendum est, per se loquendo, & ex parte ipsius sententiæ, & iudicis ferentis illam, sufficere, quod actione aliqua publica, & communi consuetudine vitata ad res iuridice pro-

Num excommunicatus ab homine per sententiā specialem vitandus sit. Adrian. Medina. Pet. Soto. Felin.

Denunciatio necessaria omnino non est, ut quia vultur. Nauarr. Couar. Vgolin. Gutier.

In quo differt publicatio à denunciatio.

Quanta esse debet hæc notitia, vt obliget ad excommunicationem vitandum.

te promulgandas; publicis, vt supra latius diximus, agentes de denuncia-
ne censurę in communi. Ex parte vero aliorum satis est, quod per testimonium fide digna, vel publicam formam, ad eorum notitiam deueniat eam publicationem esse factā. Quod notauit Nauarr. lib. 5. Confil. titul. de Sent. excommunicat. confil. 54. argumen. cap. Illud, de cleric. excomm. ministr. vbi significatur sufficere publicam famam excommunicationis alicuius, vt vitandus sit: quod ergo iure antiquo sufficiebat respectu excommunicationis absolute; nunc sufficit respectu excommunicationis denunciatae. Quod tamen ita intelligendum puto, vt fama talis sit: quę probabilem: & moraliter certam notitiam conferat: alioqui quando res fuerit dubia, non orietur talis obligatio, tum, quia in dubiis melior est conditio possidentis, tum etiam, quia intentio illius non iuris, quod explicamus, fuit tollere dubia, & tantum obligare in re certa.

Nauarrus.

10.
Non sufficit
vt quis vi-
tetur in pu-
blicas sit
sub condi-
tione de fu-
turo.

Maiores.
Covarr.

Soto.

Adde præterea non satis esse, vt sententia excommunicationis contra certam personam lata solum de futuro & sub conditione, publicata etiam fuerit iuridice: quia, cum illa sententia tantum conditio-
nata sit, respectu censurę publicatio eius non est simpliciter publicatio, aut denunciatio censurę. Oportet ergo, vt post impletam conditionem feratur sententia: solum contra talem personam in particu-
lariter, seu denunciatur: & tunc dicitur talis persona nominatim excommunicari, proprio notetur nomine, siue talibus circum-
stantiis, & signis, quibus sufficienter, & in particula-
ri designetur persona contra quam talis sententia fertur, vt aduertunt Maiores d. 18. q. 2. & 3. & Covarr. sup. §. 2. nu. 8. qui Doctores alios, & iura adducit. Oportet tamen considerare non satis esse, quod sub generali clausula aliquis comprehendatur, vt si sententia dicat, Excommunicamus Petrum, & sequaces, Petrus erit nominatim excommunicatus: non vero alij. Denique aduertunt Cou. d. §. 2. nu. 9. & Sot. d. 1. q. 5. art. 6. d. 13. q. 1. ar. 3. d. 22. q. 1. ar. 4. satis esse vt aliquis censetur nominatim excommunicatus, quod in eū lata, & publicata sit sententia declaratoria criminis commissi, cui iure ipso excommunicatio: quando videlicet talis certum, atque indubitatum est: nam tunc perinde ac declarare illum commississe tale crimen, ac declarare incurrisse censuras illi crimini annexas: imo is videtur scopus talis sententia declaratoria.

Quis dicatur manifestus clerici percussor.

11.
Circa alteram partem illius constitutionis dubitari potest, quid sit aliquem esse notorium percussorem clerici. Sed hoc satis videtur in ipsamet Extrau. declaratum: nam in primis scilicet in illa est de notorietate facti, non iuris: nam hoc discrimen versatur inter priorem & posteriorem partem eius: in priori enim regula generalis posita est, vt excommunicatus vitandus notorius esse debeat notorietate iuris. i. per sententiam publicam, iuxta c. vlt. de Cohab. cleric. & mulier. in posteriori autem parte, exceptio posita est, vt in illo particulari delicto percussoris clerici sufficiat excommunicatum esse notorium euidencia facti. Additur vero hanc euidenciam talē esse debere, vt nulla tergiversatione possit celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Vnde non satis est, quod delictum per sufficientes testes possit in iure probari: quia dum in eo itatu existit nondum est notorium, sed solum probabile. Item non satis est, quod de tali delicto sit publica infamia absque facti euidencia, quia sine hac nondum est delictum notorium, vt constat ex d. c. vlt. & clarius ex c. Tua nos, de cohabit. cleric. & mulier. vbi distinguitur delictum publicum ex euidencia, à publico ex fama quod non tam notorium, quam famosum dicitur, illud vero,

Cap. vlt. de
cohabit. cleric.
& mul.
Cap. Tua
nos, eod. tit.

A prius ita notorium est, vt nulla tergiversatione celari possit: huiusmodi autē esse debet percussio clerici iuxta tenorem illius Extrauagantis. Vnde in primis necessarium est, quod tale delictum factum sit coram multis testibus: & deinde, vt ex eorum testimonio ita factum sit publicum, vt nulla tergiversatione possit celari. Quantus autem testium numerus ad huiusmodi notorietatem facti requiratur, scrupulose inquiritur ab autoribus, sed de eare videri possunt, quæ 3. tom. dixi disp. 67. sect. 5. nulla, n. certior regula assignari potest, quam prudentis arbitrij: nullus certus numerus testium designari potest, qui semper necessarius sit, sed iuxta eorum qualitatē, & auctoritatē, & alias circumstantias interdum maior, interdum minor sufficere poterit. Idē dicendum est de publica notitia talis facti ex huiusmodi testimonio relatione: non enim oportet, vt res vbiq; diulgata sit, aut in tota ciuitate, vel oppido, sed in magna eius parte iuxta prudentium arbitrium.

Sed inquirere aliquis, an illi, qui vident huiusmodi delictum, teneantur vitare huiusmodi percussorem antequam delictum magis publicum, seu notorium fiat. Responderi potest primo, si taliter committatur delictum coram aliquibus, vt nihilominus moraliter censetur secretum, & occultum, quia nimirum, qui testes fuerunt, taciti creduntur, & sub secreto seruatur delictum, in eo casu non teneri ad vitandum huiusmodi delinquentem etiam eos, qui delictum viderunt: quia nōdum delictum notorium est: quod Extrauagans illa requirit. At vero, si delictum ita fiat coram aliquibus, vt ex modo, ac circumstantiis, quibus sit, moraliter censetur publice fieri, & statim ac sine vlla mora diulgandum esse, etiam potest statim censeri moraliter notorium, & consequenter sic delinquentem, & excommunicatum statim esse vitandum ab ijs, qui delictum viderunt, quia quod parum distat, moraliter iam adesse censetur. Quæ distinctio probabilis est. Primum tamen membrum dubitationem habet, & limitatione indiget, quia licet delictum illud non sit notorium simpliciter & respectu omnium, est tamen notorium ijs, qui viderunt: ergo id satis est: vt respectu illorum excommunicatus ille vitandus sit. Nam, si verba Extrauagantis considerentur, non requirunt, vt delictum absolute sit notorium, sed vt notorie constet, delinquentem incidisse in sententiam canonis. Hæc enim sunt verba: Aut, si aliquem ita notorie in sententiam canonis constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari. Illis autem, qui viderunt, hoc modo notorie constat de tali excommunicatione, nec maiorem certitudinem aut noticiā postea comparant, quando diulgatur delictum. Quapropter verisimilius certe videtur, respectu eorum, qui tale delictum viderunt, integrum manere ius antiquum: & consequenter vitandum esse distinctio, cap. Cum non ab homine, de Sent. excom. scilicet, si non obstante illa notitia, adhuc crimen sit occultum, occultum tantum vitandum esse ab ijs, qui illud viderunt: si autem sit publicum, publice vitandum. Et tunc recte dicitur in alio membro: quando delictum publice committitur, non esse necessariū expectari maiorem euulgationem, aut infamiam, quia à principio incipit esse in statu notorio, & publico: & ideo, per se loquendo, & secluso alio scandalo, vel ratione alia per accidens occurrente, statim ille vitandus est, ac si illud esset denunciatus.

Additur verò in dicta Extrau. illa limitatio, Nō, aliquo iuris suffragio excusari. Quæ intelligenda est de probabili suffragio, & ita apparente, vt constituat rem dubiam. Erit autem huiusmodi suffragium, si quis alleget via tantum defensionis accidisse, vt alium percuteretur: nam quamdiu oppositum non constiterit, præsumendum id potius est, quam oppositum. Idem erit, si constanter neget percussum esse clericum, & ex circumstantiis occurrentibus, & ex conditione perso-

Quæ testis
necessarius
ad facti no-
torietatem
fuit.

18.
An qui vi-
det clericum
percussorem
nem reuē-
tem occultum
antequam
magis noto-
rius fiat.

Cap. Cum
non ab ho-
mine, de
Sent. excom.

13.
Expenit
Extrava-
gantis limi-
tatio Nō
aliquo iuris
suffragio
excusari.

Secl. II. Qui excommunicati iure Conc. Constant. &c. 169

personarum id fiat verisimile, vel saltem oppositum reddatur incertum. Ratio autem est, quia intentio illius constitutionis, fuit tollere dubia; & ideo non hanc exceptionem facere, nisi pro casu certo, & indubitato: ergo, quacunque ratione excusatio probabilis sit, aut probabiliter ingerat dubium, sufficiens erit ut casus non sit ex ijs, in quibus delinquens vitari precipitur. Et eadem ratione ostendi potest, necessarium esse, talem excusationem esse probabilem aliquo ex dictis modis: quia, si sufficeret quælibet inepta & ficta excusatio, nullius momenti fuisset tota illa exceptio: huiusmodi enim excusatio nunquā deest sic delinquentibus. Item, quia illa excusatio non tollit certitudinem, nec prudenti homini dubitationem ingerit.

Atque ex dictis concluditur, hanc secundam partem illius constitutionis nullum habere locum in censuris suspensionis, & interdicti. Ratio est, quia in ea solum fit exceptio particularis de censura annexa delicto percussione clericici: illi autem non est annexa nisi quadam excommunicatione maior. Atque ita cessat dubium, quod late tractant Nauarr. Vgo. lin. & alij citatis locis, scilicet, an publice suspensus, vel interdictus vitandus sit, antequam sit denunciatus: supponit enim hæc quæstio secundam partem illius constitutionis vniuersaliter sumendam esse de omni excommunicato publico, & inquit an extendenda sit ad suspensum, & interdictum. Et ex hac suppositione affirmant dicti autores ita esse intelligendam dictam constitutionem. Estque eorum sententia probabilis propter varias rationes, quæ in eis legi possunt: nobis enim non sunt necessariae, quia credimus suppositionem esse falsam. Quia sublata, & constituta illa exceptione de solo delicto percussione clericici, illa extensio ad alias censuras nullum locum habet, ut ipsi etiam fatentur. Imo, etiam si forma Conc. Basilienfis sustineretur, ego facillimè, & valde probabiliter oppositam sententiam defenderem: quia in huiusmodi posituius legibus proprietati verborum standum est, & quatenus fauorem continent, amplianda, & quatenus odium, vel rigorem, restringenda est, quantum potest verūque cadere sub verbi proprietate. Hæc autem lex solum loquitur de excommunicatis in illa secunda parte, quæ rigoroſa est, & odiosa, quatenus exceptionem illam continet: ergo rigoroſe, & stricte intelligenda est de excommunicatis, & non est vltèrius extendenda ad suspensos, & interdictos. Maxime, cum in priori parte eiusdem constitutionis quāuis fauorabilis sit, & ideo extendenda erat ad suspensionem, & interdictum illarum censurarum facta sit expressa mentio: ergo hoc ipso, quod in exceptione de illis tacetur, virtualiter ab illo excluduntur. Quæ rationes videntur esse maioris momenti, quam, quæ in contrarium sunt, & solum ex similitudine, vel identitate rationis assumuntur: quod argumentandi genus infirmum est in hac materia, ut supra dicebam: tum quia hæc res magis pendet ex voluntate & verbis legislatoris, quam ex paritate rationis: tum etiam, quia esset facile plures rationes excogitare, ob quas exceptio facta fuerit in vna censura, & non in alijs: sed id omitto, quia necesse nobis non est.

Vltimo sunt maxime obseruanda postrema verba illius constitutionis, quæ in Concilio Basilienſi habentur, quæ licet ex Constantienſi ab Antonino non referantur, tamen ab omnibus acceptantur, & per se sunt valde consentanea rationi, scilicet, Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo releuare, neque eis aliquo modo suffragari. Vnde illi semper tenentur sese abstinere, quantum in ipsis est, eodem modo, ac antehoc ius tenebantur, quandoquidem per illud nullus ipsis fauor concessus est. Ex quo multa inferri possunt, quæ in discursu materię melius declarabo. Fr. Suarez tom. 5.

buntur: & ideo de hac constitutione, & sensu eius hæc sufficiant: nunc in singulis effectibus excommunicationis explicandum erit, quo modo seruanda, & ad praxim reducenda sit.

Num teneantur ministri Ecclesie excommunicatos non denunciatos in publicis suffragiis vitare.

IN præſenti ergo videri potest ex dictis consequens nunc non teneri ministros Ecclesie ad vitandum in publicis suffragiis, & orationibus excommunicatos, quantumuis publicos, nisi nominatim declarati sint, excepto casu percussione clericici, quia per illam Extravagantem absolute concessum est, ut non teneamur vitare huiusmodi excommunicatos: ergo concessum est, ut non teneamur eos excludere à communibus orationibus, & suffragiis, quia hoc est vnum genus communicationis, & lex illa sine limitatione, aut exceptione loquitur. Et confirmatur, nam excommunicatus non denunciatus, nec manifestus percussor clericici non priuatur Ecclesiastica sepultura ratione prædictæ Extravagantis: ergo nec suffragiis Ecclesie. Patet consequentia, quia sepultura Ecclesiastica præcipue datur propter suffragia. Atque hanc partem docet Nauarrus in Summ. cap. 27. n. 36. ad 2. dubium.

Contrariam nihilominus sententiam indicat Soto d. 22. q. 1. art. 4. post secundam conclusionem, dicens, Concilium Constantienſe nihil eis in hac parte concessisse. In quo insinuat rationem hanc, quia Concilium nullum fauorem voluit per statutum illud excommunicatis concedere: fuisset autem non modicus, si illos admitteret ad participationem communium suffragiorum. Imo consequenter destrueret præcipuam rationem excommunicationis maioris, quæ est ita præſcindere peccatorem ab Ecclesia, ut iam non sit membrum eius quoad participationem communium bonorum illius. Vnde nec traderetur Satanæ, nec tractaretur tanquam ethnicus, & publicanus, quæ sunt de intrinseca ratione illius censuræ. Ex quo videtur vltèrius colligi, adeo repugnare hanc communicationem cum censura maioris excommunicationis, ut non possit Ecclesia constituere habilem, & capacem huius communicationis, & relinquere affectum, & ligatum tali censuræ. Atque hæc sententia videtur vera, loquendo de facto, & ex vi illius Extravagantis: quidquid sit de absoluta potestate Ecclesie.

Potest autem dupliciter fundari. Primo in illis verbis vltimis, *Per hoc autem, &c.* Ex quibus videtur colligi communia suffragia absolute oblata pro tota Ecclesia, nullum eius membrum excludendo, aut nominando, sed iuxta debitam intentionem Ecclesie illa offerendo, nihil prodesse excommunicatis, etiam non denunciatis, vel occultis. Probatur, quia ante illam constitutionem nihil illis prodesse poterant: ergo neque ex vi illius, quia nullus fauor vel gratia illis fit ex vi illius. Dices, directe quidem non fieri, indirecte vero necessario redundare, quia ex fauore alius concessio fit, ut possint reis communicare. Sed contra, nam in eo casu non pertinet ad fauorem offerentis, vel orantis dicto modo, ut excommunicatus participet eius suffragiis, quia ipsa non hoc specialiter intendit, sed simpliciter orat, aut offert ut minister Ecclesie. Neque etiam id spectat ad fauorem aliorum fidelium, quia neque ipsi hoc intendunt, neque vllum fructum inde accipiunt, quin potius fortasse minorem partem fructus communis satisfactionis acciperent, si excommunicatis etiam communicaretur. Ex hoc ergo intelligitur intentionem Ecclesie etiam nunc esse, ut omnes excommunicati à participatione horum suffragiorum excludantur. Et inde vltèrius fit, ut nunquam liceat pro

pro eis specialiter illa offerre: quia intentio ministri offerentis non debet esse contraria intentioni principalis offerentis, seu operantis, vt in presenti est Ecclesia.

19
Secundo
suadet ex
alijs verbis
eiusdem Ex-
trauag.

Obiectio.

Solutio.

Idem ex fun-
damento
ratione illius
Extr. suade-
tur.

20
Satis fit fun-
damento
prioris sen-
tentia.

Secundo fundari potest hæc sententia in priori-
bus verbis illius Extrauagantis. Nemo deinceps à com-
munionem alicuius in Sacramentorum administratione,
vel receptione, aut alijs quibuscumq; diuinis, vel extra. &c.
Ex quibus videtur colligi mentem illius constitu-
tionis solum fuisse loqui de communicatione exter-
na, tam in diuinis officijs, quam in negotijs huma-
nis, eamque permittere cum excommunicato non
denunciato, &c. ergo non conceditur hæc interna
communicatio per participationem suffragiorum.
Dices, verba illa: Aut alijs quibuscumq; diuinis, adeo esse
vniuersalia, vt hanc etiam suffragiorum commu-
nicationem comprehendant. Respondetur, verba
illa iuxta planum contextum intelligi de commu-
nicatione in diuinis officijs, vt in audienda Missa,
& in horis canonicis publicè recitandis: nam, ibi
sermo est de hac communicatione externa. Quod
præterea colligi potest, & confirmari ex fundamen-
tali ratione illius constitutionis, scilicet, ad euitanda
scandala, & pericula, & subueniendum timoratis
conscientiis, nam ad hos fines neque necessarium,
neque vtile erat concedere hanc internam commu-
nicationem cum excommunicatis. Quia, quatenus
interior est, inuisibilis est, quatenus verò sit per a-
ctiones exteriores, semper pender ex interiori in-
tentione & applicatione, quæ semper potest sine pe-
riculo, & scandalo fieri pro membris Ecclesiæ ab ea
non præcis, & in particulari fieri potest pro quo-
libet, de quo non constat excommunicatum esse:
vel, si dubium sit, subintelligi potest, & debet con-
ditio, si ab Ecclesiâ non sit præcisus: quod si certo con-
stat illum esse excommunicatum, nihil periculi, vel
scandali esse potest in non applicandis illi suffragijs
communibus per intentionem particularem. Nec
pertinet, perse loquendo, ad fauorem, vel vtilitatē
ministri offerentis, vel ad conscientie securitatem,
vt id facere possit: ergo verisimile non est hoc fuisse
in illa Extrauagante cõcessum. Quod si in ijs suf-
fragijs communibus consideremus exteriorē ap-
plicationem, quæ in particulari fieri solet, orando
nominatim pro aliquo per orationem communem
Ecclesiæ in Missa, vel officio publico: hoc etiã mo-
do non pertinet ad vitanda scandala, vt id fieri pos-
sit pro quolibet excommunicato in ea Extrauagante
non excepto: nam potius esset scandalum publi-
cò illo modo orare pro publico hæretico, vel alio si-
mili, etiam si nominatim declaratus, vel nominatus
non sit per sententiam specialem. Si autem talis ex-
communicatus sit occultus, tunc etiam ex iure an-
tiquo non erit publicè euitandus illo modo: ergo
per hoc nouum ius quoad hunc effectum nihil est
innouatum.

At fundamentum ergo prioris sententiæ respo-
deri potest primò, negando verba illius decreti esse
ita vniuersalia, vt concedant, vel permittant com-
municationem quoad hunc effectum interiorē.
Secundò responderi potest, hanc communicatio-
nem non tam prohiberi directè ipsis ministris ex
parte ipsorum, quam indirectè, & ex parte ipsorum
excommunicatorum, quia Ecclesia intendit quan-
tum potest eos reddere incapaces horum bonorū:
adeo vt factum etiam irriter, quantum potest, vt in-
fra videbimus, neque in hoc voluit ipsis excommu-
nicatis fauorem vllum concedere: & ideo semper
redundat prohibitio ad ministros, ne pro illis
valeant offerre communia suffragia.

Quid autem dicendum sit de Ec-
clesiastica sepultura, in-
fra dicemus.

SECTIO III.

An liceat communia suffragia offerre pro excom-
municatis iam contritis, & resipiscenti-
bus, non dum vero absolutis à
censura.



Vlti & graues authores affirmant nō
esse intentionem Ecclesiæ huiusmo-
di homines excludere à partici-
patione suffragiorum communium, i-
deoque licitum esse prudenti modo,
& seclulo scandalo illos participes facere huiusmo-
di suffragiorum, dummodo per illos non stet, quo-
minus excommunicationis absolutionē obtineat.
Ita tenet Nauarr. ca. 27. nu. 18. vbi ait excommunica-
tum contritum, & procurantem pro viribus abso-
lutionem, frui tertia communione, id est, suffragijs
generalibus Ecclesiæ, quod repetit numer. 36. & li-
mitat, dummodo non hant expresse, & publice pro
illo. Et citat Hostiensensem in cap. Cum voluntate, de Sēt.
excomm. citat etiam cap. Dixi, & ca. Magna, de
Pœnit. distinct. 1. Idem tenet in tract. de Oratione, &
horis canonicis cap. 19. num. 68. & Couarr. in cap.
Alma. 1. part. §. 6. num. 4. conclu. 9. vbi refert Turre-
crematam in ca. Si quis Episcopus, 11. quæst. 3. dicentē,
huiusmodi excommunicatum penitentem frui
generalibus suffragijs Ecclesiæ; quod etiam affir-
mat Richard. in 4. d. 18. art. 7. quæst. 2. Quem refert,
& sequitur Anton. 3. part. titul. 24. capit. 76. Funda-
mentum huius sententiæ est, quia non est verissi-
mile Ecclesiā velle suis suffragijs priuare mem-
brum viuum, fide, & charitate sibi coniunctum, &
obedientem, per quem non stat quominus à cen-
sura absoluat. Item quia excommunicatio alio mo-
do, vel intentione lata, quantum ad hunc effectum
esset inuisa, quia pertinet ad spirituale detrimen-
tum: & ideo durare non debet, nisi quamdiu vera
causa ex parte hominis durat. Maxime cum sine vi-
la externa communicatione, & consequenter sine
vllō Ecclesiæ detrimento possit hic effectus suspen-
di, seu cessare ratione contritionis. Nam propter si-
milem causam in superioribus dicebamus, censurā
in exteriori foro iuste latam, ob causam præsum-
ptam, & non veram, non habere valorem, saltem
quoad hunc effectum priuandi suffragijs; quia non
est verisimile, Ecclesiā velle priuare hominem
innocentem tanto bono: ergo similiter in pro-
posito.

Nihilominus censo, communia Ecclesiæ suffra-
gia directā intentione non esse offerenda pro qui-
buscunque excommunicatis maiori excommuni-
catione, etiam si contriti sint, nisi prius absoluantur.
Ita tenet Adrianus in materia de clauib. quæstio. 3.
ad 1. & vltimum. Soto in 4. dist. 12. quæstio. 1. du-
bio penultimo. Et idem sentit Alanus libro 2. de
sacrificio Missæ, cap. 31. Fundamentum huius sen-
tentiæ est, quia hæc censura non tollitur per solam
interiorem penitentiam, sed censura manens sem-
per habet suum effectum: ergo. Maior certa est ex
dictis supra de absolutione censuræ in communi: &
quia alias necessaria non esset absolutio à censura
post peractam penitentiam. Dicitur fortasse, non
auferri censuram quoad alios effectus, quo ad hunc
tamen ex intentione Ecclesiæ aut tolli, aut suspen-
di, seu impediri. Sed contra, quia licet demus Ec-
clesiā potuisse hoc facere: nullo tamen canone
ostendi potest id fecisse: imo ex multis colligi po-
test, sicut non tollitur censura sine absolutione, ita
neque diminui: & absolutionem non minus pro-
pter hunc effectum, quam propter alios esse neces-
sariam. Quod probatur ex cap. A nobis, 2. de Sen-
tentia excommunicat. vbi Innocentius III. defi-
nit excommunicatum sine absolutione à censura
mortuum, etiam si in eo præcesserint manifesta si-
gna

1
Sententia
affirmans.

Nauarr.

Couarr.

Richard.
Anton.

2
Secunda
vera senten-
tia
Adrian.
Soto.
Alanus.

Fundamen-
tum.

Ensis.

Solutio.

Cap. A no-
bis 2. de Sen-
tentia excomm.

gna poenitentia, & per eum non steterit quominus reconciliaretur Ecclesiastica unitati, apud Ecclesiam absolutum non esse, sed indigere absolutione etiam post mortem: maxime autem potest illa indigere propter suffragia, vt expressè declarauit idem Pontifex in ca. Sacre, eodem titulo dicens, pro huiusmodi excommunicato ante absolutionem impensam reque oblationes recipiendas esse neque orationes Deo porrigendas: si ergo hoc statuit Pontifex pro hominem defuncto, multò magis intelligit verum esse de homine viuo.

Nec deerunt congruentia, ob quas censura hoc modo lata, & perseuerans, iusta sit; videlicet quia hæc censura non est culpa, sed poena pertinet ad externum forum Ecclesiasticum: talis autem poena, quamuis propter culpam feratur, sæpe durat ablata culpa coram Deo, donec in iudicio etiam Ecclesiæ aufertur. Kursus hæc poena est publicè & iuridicè lata: & ideo nec tolli, nec diminui debet per priuatum iudicium, donec per Ecclesiam ipsam iuridicè tollatur. Aliunde etiam multum refert ad reuerentiā, & timorem huius censuræ, quod perseueret etiam quoad hunc effectum, quamdiu per absolutionem non tollitur vt intelligant fideles in quanto periculo versantur, quādiu hæc censura ligati sunt, & maiorem semper diligentiam adhibeant, donec absoluantur. Denique quia alias facile quis diceret, posse huiusmodi excommunicatum poenitentem occultè recipere Sacramenta, vel etiam celebrare, quia est iustus, & bene dispositus, & per illum non stat quominus absoluitur, vt supponimus: & maius detrimentum spirituale est priuari vñ Sacramento, & sacrificij, quam suffragijs communibus. Cur ergo Ecclesia volet hoc detrimentum potius inferre, quam illud? Absurdum autem esset id concedere: & illo admisso, facile esset argumentum virgere in alijs effectibus. Vt ergo tota censura efficiatur, ac firmiter esset, consultius fuit quoad omnem suum effectum manere, donec per absolutionem tolleretur.

Ex his satis responsum est ad fundamentum primæ sententiæ: illa enim interpretatio intentionis Ecclesiæ ob quandam pietatis speciem, non est satis fundata, nec consonat eius decretis, vt offensum est. Neque argumentū sumptū ex sententiā à principio iniusta validum est. Aut enim sententia ita fuit iniusta, vt fuerit omnino nulla; & tunc mirum non est, quod non excludat à participatione suffragiorum communium, quando quidem nullam inducit censuram, neque ligat. Aut fuit ita iniusta, vt fuerit valida, & in re ipsa habens veram, & subsistentē causam: & talis sententia verè priuat etiam participatione suffragiorum; quia absolute, & simpliciter infert censuram, quam imponit, vt supra offensum est. Aut talis censura ita est iniusta in re ipsa, vt tamē iuxta probationem, & formam exterioris fori sit iniusta. Et hæc etiam in re, & in interiori foro nullam infert censuram, sed solum obligationem quandā abstinendi in foro exteriori, vt supra diximus: & ideo talis etiam sententia à principio nō habet vim priuandi communicatione suffragiorum: quia cū hoc interno, & inuisibili modo fiat, magis pertinet ad internum, quam ad externum forum, magisque in veritate rei, quam in præsumptione fundatur. Neque est simile de censura, quæ à principio fuit valida ex vera causa, quamuis postea causa cesset, & de illa, quæ à principio fuit nulla ex defectu causæ, quia censura pendet ex causa in fieri, non in conseruari: & ideo si à principio causam non habuit, facta non fuit: quare neque tunc, neque postea habet effectum: si verò causam habuit, imposita fuit: & licet postea causa tollatur, ipsa manet, & effectum habet, donec per absolutionem tollatur.

Dices: Communio fidelium in bonis operibus in charitate fundata est: & ideo in Symbolo communis

Fr. Suarez tom. 5.

A Sanctorum appellatur: ergo non potest Ecclesia aliquem in charitate existētem hac cōmunionē priuare: sed hæc cōmunitio nihil aliud est, quam participatio communium suffragiorum: ergo hoc ipso quod excommunicatus redit ad statum charitatis restituitur etiam ad participationem communium suffragiorum. Respondetur negando minorem: alia est enim cōmunitio Sanctorum, quæ fundatur in charitate: alia vero est participatio in suffragijs, quæ Ecclesia per ministros suos offert pro suis membris, vt significauit D. Thom. in 4. dist. 18. quæst. 2. ar. 1. quæstio. 1. ad 2. & bene declarauit Soto, & Alanus locis citatis. Nam illa Sanctorum cōmunitio non pendet ex aliqua intentione operantis, sed veluti ex natura rei, seu charitatis cōsequitur ex solo cōsortio, & societate bonorum: nam inde fit, vt quo singula membra meliora sunt, eo totū corpus gratus habeatur: & consequenter etiam fit, vt ceteris paribus, Deus maiori quadam prouidentia, aut beneuolentia vnumquemque iustum respiciat propter cōsortium aliorum. Ab hac ergo cōmunionē non excluditur excommunicatus ex vi censuræ, sed ratione culpæ: & ideo quamprimum culpa tollitur, & ad gratiam restituitur, dicta cōmunionē Sanctorum frui incipit, etiam si nondum à censura absolutus sit. At vero participatio suffragiorum in hoc cōsistit, vt sit vnus ex ijs, pro quibus Ecclesia directe orat: & cui applicat sua merita de congruo, vel satisfactiones communes, vel sacrificia, aut indulgentias. Et quoad hanc participationem fit exclusio per censuram, quæ non aufertur, quamdiu censura manet, etiam si culpa tollatur.

C Dices: Illo priori modo etiam peccatores, qui sunt membra Ecclesiæ, esse participes cōmunionis Sanctorum: nam ob bonorum cōsortium Deus peculiariter miseretur malorum, eosque ad poenitentiam excitat: quod etiam de excommunicatis contumacibus verum habet, si tamen fidem retineant: quia per illam sunt aliquo modo membra huius corporis, licet mortua, & quoad peculiarem influxum abscissa tamen vel propter illam coniunctionem Deus illis benefacit propter bonos, vt Richardus, & Antonius supra annotarunt: ergo ad nullam cōmunionem Sanctorum restituitur excommunicatus propter solam poenitentiam. Item excommunicatus potest frui illa cōmunionē Sanctorum: ergo possunt iusti, & ministri etiam Ecclesiæ hoc bonum illis intendere propria, & directa intentione, quia obiectum illud bonum est: ergo possunt etiam pro illis offerre cōmunionē Ecclesiæ suffragia. Respondetur ad priorem partem, idem argumentum fieri posse de quocunque peccatore, cū ad gratiam restituitur. Dicendum ergo est, existentes in peccato mortali aliquid fructus saltem impenetrationis participare ex cōsortio bonorum: viua autem membra multo magis communicare inter se spiritualibus bonis. Et quoad hunc specialem gradum restitui etiam excommunicatum ex vi contritionis, etiam si à censura non sit absolutus. Ad alterā partem concedo, licitum esse directe intendere homini iusto etiam excommunicato hoc bonum cōmune totius Ecclesiæ: nam talis intentio consentanea est charitati, & prohibita non est, nec prohiberi potest: nam cum effectus ille in re ipsa sequatur, & bonus sit, nulla ratio est, cur non possit honeste intendi. Negatur tamen vltima consequentia, quia hæc intentio non pertinet ad cōmunicationem communium suffragiorum Ecclesiæ, vt ex obiecto eius manifestum est.

manifestum est.

Solutio ob-
iecto tradi-
tur, diffi-
ren-
tia inter
cōmunionē
San-
ctorum, &
suffragiorū
participa-
tionem.

Replia

Enodatur

SECTIO IV.

Verum communia suffragia pro excommunicatis oblata illi prosint, quamuis offerens peccet.

Nonnulla pro quaestione resolutio ne prenotatur.



Aliud est actionem aliquam non esse licitam, aliud ita esse inualidam, vt effectum non habeat: saepe enim contingit illud prius esse sine hoc posteriori. Et ideo licet ostensum sit, hæc communia suffragia non offerri licite pro excommunicatis adhuc videndum superest, an talis oblatio, licet inique fiat, validè, & cum fructu ipsius excommunicati fiat. Supponendum autem est, ex parte excommunicati non esse aliud impedimentum præter censuram: nam ex alio capite, scilicet ex statu peccati mortalis, contingere potest, vt applicatio suffragiorum, vel indulgentiarum non sit efficax, saltem quantum ad fructum satisfactionis, & ex magna perversitate voluntatis impediri etiam potest quoad effectum impetrationis: hæc verò extrinsecas sunt: nunc enim solum de impedimento censuræ agimus. Est autem dubitandi ratio, quia quando aliquis operatur vt minister alterius, propria malitia ministri non impedit effectum actionis: hæc enim de causa mali Sacramentorum ministri, quamuis peccent ministrando, effectum nihilominus conferunt: sed in presenti qui applicat generalia suffragia Ecclesiæ, id faciunt vt ministri eius: ergo licet ipsi peccent, applicatio erit valida, quandoquidem in eo, pro quo offerunt, nullum est impedimentum ad effectum: censura enim non facit incapacem, vel indignam personam, sed supponit: & ideo prohibet ministris, ne offerant: ablata ergo indignitate personæ, tollitur incapacitas, & sola manet prohibitio. In contrarium verò est, quia minister, seu dispensator, si bona dispensat contra domini mandatum, vel voluntatem, non solum malè facit, sed etiam nihil facit.

Ratio dubitandi.

Nunc sacrificium Missæ pro excommunicato oblato illi prosit.

In sacrificio Missæ duo considerantur.

Hæc quaestio specialem difficultatem habet in sacrificio Missæ; & ideo prius de illo dicam, & inde facile constabit quid dicendum sit de alijs suffragijs. In illo autem sacrificio, prout nunc in Ecclesiâ sit, distinguere oportet substantialem ablationem sacrificij ab orationibus, & alijs religiosis ceremonijs, quæ in illo sunt in persona Ecclesiæ, & suum apud Deum habent spirituales fructus. Rursus in ipso ministro duplicem rationem distinguere oportet: vna est, quatenus immediatè, ac per se gerit personam Christi ex vi suæ ordinationis, & nomine illius offert, & applicat talem effectum tanquam minister immediatè ab ipso ad hoc munus deputatus. Alia ratio est, quatenus etiam gerit personam totius Ecclesiæ, quæ illum etiam deputavit, vt suo nomine sacrificium offerat, & communem effectum sibi ex opere operato correspondentem suis membris applicet, seu conferat. Quæ duæ rationes optimè distinguuntur in Sacerdote ab Ecclesiâ præciso per censuram, qui, si offerat, iam non offeret vt minister Ecclesiæ, sed solum ex vi institutionis Christi, vt in superiori tomo dixi disput. 77. sect. 2.

Sacrificium à ministro vt personam Christi ferre oblatum prodest excommunicato.

Dico ergo primò: Si Sacerdos in persona Christi, & vt minister ab ipso deputatus ad hoc sacrificium offerendum, & applicandum eius fructum, sua propria intentione pro excommunicato alias in illo illud offerat, licet male faciat: eius tamen applicatio efficax erit etiam quoad fructum satisfactionis, si aliter nullum aliud impedimentum habeat præter

A censuram. Probatum ex ratione dubitandi in principio posita, quæ quoad hanc partem videtur satis efficax. Deinde explicatur à simili de administratione Sacramentorum: nam Sacerdos prohibetur ab Ecclesiâ, ne Sacramentum ministret excommunicato: vnde male facit, illud administrando; nihilominus tamen si id faciat, Sacramentum factum tenet, per se loquendo, imò & effectum habet in suscipiente, si contingat in eo nullum aliud esse obicem præter censuram, vt inferius latè dicemus. Sic ergo in presenti prohibita est Sacerdoti oblatio sacrificij pro excommunicato; & ideo malè facit pro illo offerendo. Tamen per illam prohibitionem non est ablata illi potestas offerendi in persona Christi, & applicandi effectum sacrificij: & ideo & verum cõficit, ac offert sacrificium, vt certissimum est, & ex dictis in citato loco facile demonstratur: ergo efficaciter suum confert effectum, si in alio nõ sit obex: nam sicut Sacramentum alicui collatum necessario in illo habet effectum, si non ponat obicem, neque potest Ecclesiæ prohibitio illum impedire; ita sacrificium pro aliquo oblatum, necessario in illo habet effectum ex opere operato.

Dices: Cur non poterit Ecclesiâ irritare illam intentionem, seu voluntatem ministri, quæ vult huic applicare effectum sacrificij? Respondetur, quia ratione non potest irritare intentionem conferendi Sacramentum, eadem non potest præsentem intentionem inefficacem reddere. Vtriusque autem ratio est, quia in eo actu gerit personam Christi, & iuxta institutionem eius operatur vt ipse minister: & ideo non habet Ecclesiâ potestatem ad inuandandum illum actum. Adde, Ecclesiâ non habere directè potestatem in intentionem, seu actum internum voluntatis, quatenus talis est: actus autem externus sacrificij tam in se, quam quoad effectum suum est supernaturalis, ex Christi institutione habens definitas condiciones, sine quibus validus, aut efficax esse non potest, & cum quibus non potest non esse & validus, & efficax: quia ergo illæ condiciones non mutantur propter solam Ecclesiæ prohibitionem, seu censuram; ideo per illam solam, ac præcisè sumptam non potest impediri effectus sacrificij.

Dico secundò: Huiusmodi sacrificium oblatum pro excommunicato nihil illi prodest ex parte oblationis, seu intercessionis Ecclesiæ. Suppono enim, hoc sacrificium, quatenus offertur in persona Ecclesiæ, habere peculiarem vim, & efficaciam saltem per modum impetrationis, vt in citatis disputationibus de sacrificio Missæ latius declaravi. Quoad hanc ergo efficaciam non potest prodesse talis oblatio ipsi excommunicato, quia non potest extendi ultra intentionem principalis offerentis, vt ratio in principio proposita conuincit. Et ideo Sacerdos sic offerens non solum male facit, sed etiam quoad hoc nihil facit. Quod præterea sic declaratur, & confirmatur: nam si talis Sacerdos ad Deum loquens dicat se nomine Ecclesiæ, & vt ministrum, vel legatum eius offerre hoc sacrificium pro Petro excommunicato, vt illi hæc, vel illa bona impetret, &c. reuera falsum dicit: nam Ecclesiâ non solum non cõmittit illi vices suas, vt hanc deprecationem, vel oblationem faceret nomine suo; sed potius id prohibuit, & Petrum exclusit à numero eorum, pro quibus suo nomine offerri vult: ergo talis deprecatio respectu excommunicati nullius est momenti, & efficacis: nam petitio facta nomine alicuius ex fallacia, & deceptione, nullam vim imperandi habet.

Sed hinc sumet aliquis occasionem dicendi, Sacerdotem offerendo pro excommunicato, si intentionem habeat offerendi non vt legatum Ecclesiæ, sed præcisè vt ministrum Christi, non solum habere effectum, sed etiam nihil peccare: quia Sacerdos sic pro

Cur Ecclesiâ non possit irritare intentionem talis modo effectus sacrificij, pro excommunicato.

Sacrificium pro excommunicato oblatum nihil illi prodest ex parte intercessionis Ecclesiæ.

Sacerdotem non solum intentionem habere offerendi non vt legatum Ecclesiæ, sed præcisè vt ministrum Christi, non solum habere effectum, sed etiam nihil peccare: quia Sacerdos sic pro

ut priuata persona non est prohibitus orare, vel offerre pro excommunicato, sed tantum ut minister Ecclesiæ: ergo quando non offert pro aliquo ut minister Ecclesiæ, non solum effectum confert, sed etiam nihil peccat: quod est contra dicta in præcedenti sectione. Respondeo negando consequentiam: est enim in Sacerdote triplex ratio distinguenda, scilicet quatenus offert in persona Christi, vel in persona Ecclesiæ, vel in propria persona, ut particularis, seu priuata est. De hoc ultimo modo verum est non esse prohibitum orare pro excommunicato, ut sectione sequenti dicemus: tamē duobus primis modis prohibitum est cum discrimine supra declarato, quod in primo modo prohibitio non impedit effectum, quia non potest Ecclesia tollere potestatem ordinis à Christo datam, licet efficiat, ut usus eius non liceat: at verò in secundo modo & prohibet, & tollit potestatem, quam ipsa concesserat ad offerendum pro aliquo in persona sua. Ratio autem, ob quam Ecclesia prohibet Sacerdotem sub duabus illis primis rationibus offerre pro excommunicato, est, quia sub utraque istarum rationum est minister publicus, & sub utraque dici potest minister Ecclesiæ, licet sub diuerso respectu, id est, vel quia ab ipsa Ecclesia assumitur, & constituitur, ut in persona ipsius orat, vel offerat, &c. vel quia est datus à Christo ipsi Ecclesiæ, ut sacrificium pro illa offerat: & inter ipsam, & Deum intercedat in persona Christi. Quomodo etiam Sacerdos absolvens dici potest minister Ecclesiæ, id est, datus à Christo Ecclesiæ ad illud munus, quod ad communem vtilitatem Ecclesiæ pertinet, quamvis in eo exercendo non gerat personam Ecclesiæ, sed Christi. At verò in officio offerendi magis habet locum duplex illa consideratio, & respectus; quia oblatio sacrificij suo proportionata modo ad omnes pertinet, ut citato loco latius dictum est. Sicut ergo Ecclesia prohibet Sacerdoti, ne absoluat excommunicatum, quamvis illud ministerium faciat in persona Christi, ita prohibet ne pro excommunicato offerat in persona Christi, quia totū hoc est ministerium publicum Ecclesiæ, ad quam pertinet disponere de omnibus, quæ spectant ad conuenientem usum eius. Et ita tenent Alanus supra dicto libro 2. de Eucharistia, cap. 31. & Bellarminus lib. 2. de Missa, c. 6.

Ultimo dicendum est, Sacerdotem orantem, vel quacunque alia offerentem suffragia pro excommunicato ut ministrū Ecclesiæ, nihil efficere, quod ipsi excommunicato esse possit apud Deum alicuius fructus, vel vtilitatis spiritualis. Probatur quia talis actus non habet efficaciam ex priuato merito talis personæ, tum quia nunc non consideratur sub ea ratione, sed ut minister Ecclesiæ: tum etiam quia cum illa actio sit peccaminosa, non potest habere spirituales fructum ex merito ipsius priuati operantis. Nec etiam ex merito Ecclesiæ, quia Ecclesia non vult, ut pro tali excommunicato oretur in persona sua, unde ipsa non interponit suum meritum, vel intercessionem pro tali persona; & consequenter talis Sacerdos, aut minister falsum dicit, quando assertit se orare, vel intercedere pro tali excommunicato in persona Ecclesiæ: ergo nihil fructuosum facit, sicut dictum est in secunda assertionione: eadem enim est ratio in præfenti.

Et hinc expeditur facile dubium, si quis interroget, an Sacerdos excommunicatus offerens pro se ipso, aliquem fructum inde accipiat, saltem ex opere operato. Dicendum est enim, illum, per se loquendo, peccare grauitate, & ex hac parte ponere obicem, ne fructum ex sacrificio capere possit. At si ponamus casum, in quo talis Sacerdos excommunicatus excusetur tam in offerendo, quam in offerendo pro se ut minister publicus; tunc illi proderit sacrificium, sicut posset proderet alteri excommunicato non ponenti obicem, si pro illo offerretur, est Fr. Suarez tom. 5.

enim eadem ratio, quia distinctio, vel identitas personæ hic nihil refert. Oportet autem ut duplex illa excusatio intercedat, quia duplex intercedit prohibitio: una, ne excommunicatus offerat, à qua excusari quis poterit propter urgentem necessitatē mortis, aut grauisissimi scandalij, aut infamiae vitandæ, ut infra dicemus. Et tunc etiam necesse erit, ut saltem per contritionem procuret dignè offerre. Altera prohibitio est, ne offerat Sacerdos ut Publicus minister pro excommunicato, & consequenter nec pro se ipso, si excommunicatus sit: à qua lege non excusat illa necessitas vitandi scādali: nā potest pro alio offerre. Ut ergo ab hac etiam prohibitionē excusetur, oportet ut intercedat vel ignorantia inuincibilis, quia potest facile aliquis exilimare, quacunque ratione sit licitum sacrificium offerre, quamvis excommunicatus sit, consequenter licitum esse pro se offerre, seu applicare sibi, quidquid potest in persona Christi. Imo potest alicui verisimile videri non esse intentionem Ecclesiæ cum tanto rigore prohibere non offerre pro excommunicato, ut prohibuerit etiam non offerre pro se ipso, etiam si alius licitè offerat sacrificium. Præsertim quia in tantū est prohibitum offerre pro excommunicato, in quantum est prohibitum communicare cum illo: at nemo est prohibitus communi care secum, sed cum alio: ergo non est prohibitum offerre pro se specialiter, sed solum quatenus est prohibitus offerre: ergo si quis alia ratione excusetur ab illa prohibitionē, potest vel ex ignorantia, vel certe ex probabili dictamine excusari etiam à culpa, in offerendo pro se. Quod maxime locum habebit, si vrgens necessitas hoc etiam postulare videatur; ut si quis sit in vrgente periculo mortis. Itaque quacunque ratione integra sit excusatio, capiet ille totum fructum non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, quamvis illum peculiarem fructum, qui est ex intercessionē Ecclesiæ, non recipiat, sicut dictum est de alijs excommunicatis, si pro eis offerri contingat. Posset verò hic vltimū quæri, si quis excommunicatus pro se offerat peccando, esto, tunc non capiat fructum, an postea ablato obice tam culpæ, quam censuræ, renouiscat effectus talis sacrificij. Verumtamen hæc quæstio vniuersalis est de sacrificio, quoties offertur pro aliquo habente obicem, an incipiat in illa habere effectum recedente fictione. Quam breuiter tractaui, & partem negantem definiui in superiore tomo, disp. 76. sect. 10. circa fin.

SECTIO V.

Vtrum licitum sit priuatas orationes, & pia opera seu satisfactiones pro excommunicato offerre.

Ratio dubitandi esse potest, quia Ecclesia simpliciter prohibet communicare cum excommunicato: at vero orare pro illo, vel satisfactiones offerre, quædam communicatio est maior, quam loqui cum illo, vel salutare illum: ergo est prohibita. Et confirmatur: nam offerre, aut mittere aliquod donum excommunicato, prohibitum est ex vi excommunicationis; nam est dare illi magnum signum beneuolentiæ, & amicitie: ergo & offerre pro illo proprias satisfactiones, aut orationes quantumuis priuatas, quia est maior beneuolentia, & amicitia. Quidam ergo Doctores Catholicici ita sentire videntur, præsertim Latomus art. 7. contra Lutherum; vbi sentit, nōmine communium suffragiorum, quibus priuari dicitur excommunicatus, non venire tantum ea, quæ publicè à ministris Ecclesiæ fiunt; sed etiam ait, penè omnia Christianorum suffragia, quantumuis occultā, vel secreta. Et

P 3 ratio-

rationem indicans inquit, *Quia optimus quisque orationes suas dirigit ad manus Christi: & corporis eius quod est Ecclesia, vt sic grata sint, quæ fortasse priuata displiceant.* Item quia optimus quisque maximè exiuitur priuatis, & attendit communibus.

Quæ rationes, quidquid sit de assertionem, non sunt magni momenti: si enim intelligat iustos, & quantumuis perfectos orantes ita dirigere orationes suas ad manus Christi, vel Ecclesiæ, vt nihil in particulari intendant, sed solum confusè; quod Christus, vel Ecclesia intendit: in hoc sensu falsum est, quod sumitur: quia hoc neque ad honestatem, neque ad perfectionem orationis pertinet: sed optimus quisque orat pro priuatis, seu determinatis Personis, & cum illis communicat sua spiritualia bona, prout potest, & iudicat expedire secundum ordinem charitatis. Si verò intelligat, iustos dirigere suas orationes ad manus Christi, quia per ipsum & propter ipsum petunt, & illa, ac pro illis petunt, quæ iudicant illi esse beneplacita, sic verum est, quod assumit; tamen hoc totum seruari potest in oratione priuata pro excommunicato, si alioqui prohibita non est: quia talis oratio potest esse profecta ex charitate, & habere omnes circumstantias necessarias, vt propter Christum fiat, & propter eius merita acceptetur. Quod autem ad intentionem Ecclesiæ spectat, illa necessaria non est, vt priuata oratio recte & licite fiat, quia neque de hac re datum est præceptum, neque talis oratio fundatur in communi merito, aut oblatione totius Ecclesiæ: satis ergo est, vt non sit prohibita per Ecclesiam. In hoc ergo insistendum est, an Ecclesiæ prohibitio ad hoc extendatur. Nam D. Thomas in quodlib. 11. art. 9. absolute, & sine limitatione dicit, orare pro excommunicato ita esse prohibitum, sicut audire Missam cum illo: at vero audire Missam non est ministerium publicum, sed opus priuata personæ: ergo eadem ratione intelligere videtur, priuatam orationem pro excommunicato esse prohibitam. Indicat, licet obscure, Hostiensis in cap. *Cum voluntate*, de Sententia excommunicationis.

Questionis resolutio.

Nihilominus dicendum est, licitum esse priuatim pro excommunicato orare, propriam, & personalem satisfactionem pro illo offerendo eo modo, quo inter Ecclesiæ membra fieri potest. Hæc est communis sententia, quæ sumitur ex Dno Thoma in 4. distinctione 18. vbi sentit, excommunicatū solum excludi à communionem fidelium, quantum ad suffragia Ecclesiæ communia, & quantum ad hoc vt non sit orandum cum illis: & in solut. 1. ait, bene posse orare pro illis, quamuis non inter orationes, quæ p. membris Ecclesiæ sunt. Idem tenet Durandus ibi, quæstione 3. Richardus articulo 7. quæstione 1. Paludanus quæstione 1. articulo 1. Gabriel quæstioni 2. dub. 1. & lect. 25. in canonem: & alij, quos statim receram. Rationem aliqui reddunt, quia Ecclesia non potest prohibere huiusmodi orationes, quia pertinent ad illam Sanctorum communionem, quæ in sola charitate fundatur. Sed hæc ratio non cogit, quia præter generalem illam communionem, addit specialem communicationem propriarum orationum, & suffragiorum per priuatam intentionem, & applicationem. Alij ergo eandem impotentiam colligere conantur ex eo, quod hæc applicatio potest fieri per actum mere internum, in quem Ecclesia non habet potestatem. Sed hæc ratio ad summum probat de orationibus, & actibus omnino mentalibus, non tamen de externis etiam per accidens occultis: nam Ecclesia potest prohibere, nehi actus hac, vel illa intentione fiant, vt ex materia de legibus nunc suppono: ergo ex hac par-

te nihil repugnaret prohibere, ne fiant intentione proficiendi excommunicatis, atque adeo ne pro illis offerantur. Et ideo quidquid sit de absoluta potestate Ecclesiæ, melius hoc probatur: quia de facto id non prohibuit, vt praxis etiam, & consuetudo id satis ostendunt. Estque id etiam consentaneum Ecclesiasticæ pietati: nam aliud esset nimis acerbum, mulumque derogans fraternæ charitati. Item quia hoc modo licet orare pro Ethnicis, & Publicanis, & quibuscunque infidelibus: ergo & pro excommunicatis.

Atque hinc inferitur, licitum esse Sacerdoti, vt priuata persona est, orare in Missa pro excommunicato, scilicet in illis partibus Missæ, in quibus vel mentaliter orat, vt in Memento; vel occulte, & secrete. Ita tenet Syluester verbo *Excommunicatio*, §. 2. & verbo *Missæ*, quæstione 8. conclus. 4. & Angelus verbo *Missæ*, num. 51. qui citant Hostiensem: Armilla verbo *Excommunicatio*, num. 4. Soto in 4. distinctione 22. quæstione 1. articulo 1. circa finem. Cauarruias in cap. *Alma*, part. 1. §. 6. num. 4. Nauarrus in Summa, cap. 27. num. 26. & in Enchiridio de Orat. cap. 19. num. 67. & sequentibus. Ratio est, quia Sacerdos, licet ministerium publicum exerceat, non definit esse persona priuata, nec tenetur toto illo tempore ita gerere munus publicum, vt non possit vt priuata persona operari, vel successiuis morulis, vel simul diuersa intentione; sicut ergo potest pro amicis, vel alijs priuatim orare, ita etiam pro excommunicatis, dummodo eos non nominatim non exprimat in canone, vel in alijs orationibus publicis: hoc enim prohibitum est, vt omnes citati auctores docent: & sumitur ex Leone Papa, Epistola 40. ad Anatolium, & ex Cypriano, & alijs supra adductis. De alia vero oratione priuata nulla est prohibitio, quin in illo tempore fieri possit.

Dicunt aliqui, etiam in Memento orare Sacerdotem vt ministrum publicum Ecclesiæ: & ideo ibi etiam prohiberi pro excommunicatis orare. Vnde in fine illius orationis subiungit Sacerdos: *Pro quibus tibi offerimus*, vel, *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*: quæ verba referuntur ad omnes, pro quibus in Memento orauerat. Sicut ergo non licet pro excommunicatis sacrificium offerre, ita nec in Memento pro illis orare. Respondetur, quantumuis Sacerdos gerat personam publicam etiam in illo actu, nunquam ita exuere priuatam, quin possit ex sua intentione sub hac ratione orare pro excommunicato, & non in persona Ecclesiæ: & postea cum subiungit illa verba: *pro quibus*, &c. ex eadem intentione ad eos, qui sunt capaces illius oblationis, vel pro quibus ipse in persona Ecclesiæ orauerit, se conuertere. Non est ergo cur in hac re scrupulum faciamus: quanquam nonnulli moderni Theologi audeant simpliciter definire, non esse licitum sine maiori fundamento.

Quin porius addunt Syluester, & Angelus, esse licitum Sacerdoti, dum publice orat nomine totius Ecclesiæ, simul intentione priuata, & in propria persona eadem petitionem facere pro excommunicato, dummodo exterius illum specialiter non nominet: quia non repugnat eandem orationem duplici intentione, & quasi in duplici sensu exterius proferre. Quod magis declarans Nauarrus ait licitum esse Sacerdoti totum pium opus dicendi Missam, & sacrificandi, & cantandi, vel orandi Horas Canonicas, quatenus est proprium opus talis priuata personæ, per quod habet suum meritum, vel satisfactionem, vel impetrationem ex opere operantis, offerre priuata intentione pro excommunicato: quia secundum illum respectum illa est priuata oratio, vel satisfactio, cuius applicatio voluntaria est, de illa nulla facta est prohibitio: & ideo quantum est ex vi censura, nihil repugnat, quin pro excommunicato offeratur. Dico autem,

Rationes
huius sen-
tentia re-
suntur.

D. Thom.

Hostiensis.

D. Thom.

Durandus.
Richard.
Palud.
Gabriel.

Licitum est
Sacerdoti in
Missæ orare
pro excom-
municato, vt
persona est,
priuata est.
Syluest.
Angelus.
Hostiensis.
Armilla.
Soto.
Cauarr.
Nauarr.

Leo Papæ.
Cyprian.

6.

rem, quantum est ex vi censura: quia aliunde ex praua dispositione excommunicati potest esse impedimentum, scilicet, si in peccato mortali sit, praesertim quoad fructum satisfactionis, si pro eo offeratur: quia quamdiu aliquis est in peccato mortali, nulla satisfactio potest ei applicari, nec poena remitti. Impetratio vero habere potest aliquem effectum: nam per orationes impetrari potest bona dispositio, vel aliquod auxilium ad illam. Et idcirco oratio pro aliquo non semper supponit in illo bonam dispositionem, sicut propriae satisfactionis communicatio.

Ratio dubitandi in principio posita respondetur, huiusmodi orationem priuatam pro excommunicato non esse communicationem prohibitam ex vi huius censurae, imo nec proprie esse communicationem cum illo, sed esse quoddam opus misericordiae, seu spiritualis elemosynae, quae ex bonis propriis, & priuatis prohibita non est: quod etiam suo modo in corporali elemosyna locum habet, infra dicemus: & ideo etiam non est hoc signum specialis beneuolentiae, & amicitiae, praesertim cum per actum internum, vel occultum fiat, ita ut necesse non sit in alterius notitiam deuenire: quanquam ad totum sit accidentarium, & ad vim excommunicationis non referat. Hic vero inquiri poterat, an possit quis offerre pro excommunicato propriam, & particularem satisfactionem ex opere operato sibi prouenientem ex sacrificio, vel etiam ex Sacramento. Sed haec quaestio locum non habet: quia, ut opinor, hic fructus non potest aliis communicari, ut in propriis locis superiori tomo tractaui. Si autem ille fructus comunicabilis esset, ex parte censurae id non repugnaret, ut constat ex generalibus principiis positis.

DISPUTATIO X.

De secundo effectu excommunicationis, qui est priuatio passiva communicationis Sacramentorum.

Postquam dictum est de communicatione spirituali quodammodo interna, dicendum est de communicatione externa in rebus sacris, inter quas primum locum habent Sacramenta, quorum duplex potest esse usus, scilicet actiuius, & passius, de quibus singillatim dicendum est. Tria ergo in praesenti videnda sunt: Primum, quid in hoc prohibitum sit ipsi excommunicato. Secundum, quid sit prohibitum ministris Sacramentorum respectu illius. Tertium, qualia sint Sacramenta, si fortasse excommunicato tribuantur.

SECTIO I.

Vtrum grauitur peccet excommunicatus, quodlibet suscipiendo Sacramentum, & quam poenam incurrat.

Generalis regula, ac certa est, per se loquendo, & ex genere suo moraliter peccat excommunicatus, quodlibet suscipiendo Sacramentum. Ita docent communiter Doctores in 4. dist. 18. D. Tho. D. Bonau. Rich. Palud. & alij, Argentina dist. 19. art. 4. Soto dist. 22. art. 1. & Summistae ac Doctores

omnes, specialiter videri possunt, Nauarrus cap. 27. Bonaeum num. 18 & Couarruuias in cap. Alma, 1. par. §. 6. nu. 5. Estque in iure expressum in cap. Cum illorum, & cap. Si quem, de Sent. excommun. & in cap. Illud, & capit. Si celebras, de Cleric. excommun. ministr. Et haec est ratio a priori huius culpe; quia hoc non est malum, nisi quia per ipsam censuram prohibitum est. Ratio autem talis prohibitionis est eadem, quae sufficiens fuit ad instituendam talem censuram per modum cuiusdam medicinalis poenae. Item quia ille, qui est inobediens, & contumax Ecclesiae, merito repellitur tanquam indignus a participatione potissimum Ecclesiae bonorum, qualia sunt Sacramenta. Adde, excommunicationem minorem habere hunc effectum, ut infra suo loco dicemus, & ex eisdem iuribus constat: ergo multo magis excommunicatio maior illam habebit; nam includit totum, quod minor, & aliquid addit. Denique ob hunc praecipue effectum post precedentem, de quo in superiori disputatione diximus, anathema dicitur esse omnium poenarum Ecclesiasticarum maxima, & abscindere hominem ab Ecclesia, & eum tradere Satanae, & aeternae mortis damnatio vocatur, in cap. Nemo Episcoporum, 11. qu. 3. quia quodammodo clauditur excommunicato omnes fontes gratiae, qui pro ceteris omnibus in Ecclesia expoliti sunt.

Atque hinc constat, hanc prohibitionem esse talem, ut eius transgressio ex genere suo peccatum mortale sit, quia materia est grauis, & pertinet ad cultum Sacramentorum. Item hoc est quoddam sacrilegium, ut recte dicunt citati auctores, & Caietanus in Summa, verbo Absolutionis impedimentum, & Nauarrus in cap. Fratres, de Penitent. distinct. 5. numero 38. quia est contra reuerentiam Sacramentorum debitam: sacrilegium autem ex suo genere peccatum mortale est, & materia Sacramentorum grauis est: ergo hoc peccatum non solum ex genere suo, sed etiam ex parte materiae, per se loquendo, & conclusa inaduertentia, vel alio simili impedimento, mortale peccatum est. Quod etiam satis aperte significatur in cap. Sacris, de iis, quae vi meritis causa sunt. Vnde fit, quamuis vnus Sacramenti receptio ceteris paribus, grauius peccatum sit in excommunicato, quam receptio alterius, iuxta inaequalitatem Sacramentorum in dignitate, & excellentia: tamen hoc omnibus commune esse, ut cuiuslibet receptio etiam semel facta, durante excommunicatione, peccatum mortale sit. Ratio est, quia separatio excommunicati ab usu Sacramentorum generalis est, ut constat ex citatis iuribus, & communi omnium interpretatione, & sententia: at vero quodlibet Sacramentum est materia grauis respectu huius praeccepti, & digne, ac sancte tractandum est: ergo quodlibet Sacramentum recipere, siue illud sit matrimonium, siue quodlibet aliud grauius, dum suscipiens excommunicatione innodatus est, peccatum est mortale. Et ita sentiunt omnes citati auctores.

Sed quaerit aliquis primo, de quo excommunicato intelligitur dum hoc fit; an solum denotatio haec in ordi tim denunciato, & manifesto percussore clerici: vel etiam de quolibet quantumuis occulto. Respondeo, nullam hic esse adhibendam limitationem ob Extraneitatem, Ad eundem: sed quoad hanc partem integrum manere ius antiquum, quia per nouum ius illius Extraneitatis nullus fauor fit ipsi excommunicato, ut in eadem dicitur, & supra notauimus: ergo nullus excommunicatus, quantum est ex se, liberatur hoc onere separandi se ab usu Sacramentorum: alioqui magnus fauor, & gratia illi fieret. Item non erat aliud necessarium ad finem illius Extraneitatis, neque erat expediens ad timorem, & rigorem censurae conseruandum: nam qui scit se esse excommunicatum, etiam si denunciatus, vel publicus